



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Ingolstadij Theologiam docet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

ceptas inuexit. Romam ut venit, solennia quatuor Professorum societatis Vota pridie Natalis Deiparæ septimo die Septembris ex B. Ignatij sententia concepit. Eiusdem mox imperio vnà cum Iaiò, ac Salmerone ex itinere suscepit Bononiæ Doctorum insignia die B. Francisco solenni nono seculi eius, & quadagesimo anno.

*Inter Profes-
sos Societatis
adscriptur.
Bononiæ Do-
ctor creatur.*

Inde tres pariter in Germaniam progressi cū peruenissent Dilingam, ab Cardinali Augustano summa caritate excepti, ægrè tenuerunt, ne sibi Canisium auferret ad Collegij præfecturā, quod Dilingæ, nihil dum de tradendo eo Societati cogitans, inchoarat. Magno posthæc honore à Duce ipso Monachij, deinde Ingolstadij ab Episcopo Eistettensi Mauricio, qui Academiae Cancellarius erat, excipiuntur. Nam ipsemet Episcopus, Doctoresque omnes, atque Magistri ad eos consalutandos honorificè in domicilium processere: habitaque ab eorum vno plena gratulationis oratio est. Cui ex tempore, & eleganter communi sociorum nomine respondit Canisius. Idem continuo, & Salmeron aggressi docere (nam Iaius ad noui anni reseruatus initia) Orationum prolusiones habuerunt eiusmodi, ut doctissimi quique

*Ingolstadij
Theologiam
docet.*

prælo vulgandas contenderēt. Diui Pauli Epistolas. Salmeron, Canisius collectas, digestasque à Petro Lombardo (quem Magistrum vocant) Theologicas sententias explanabat. Denique ita probata est religiosa Doctorum Sapientia, vt perhonorificum de iis iudicium suum edito typis codicillo Academia publicarit, professa singularem eorum scientiam, exercitationem in omnibus disciplinis: ac postremo sanctimoniam vitæ non solum expectationi omnium, eique maximè respondere, sed etiam longe præire. Spectaculo erat sedulitas in docendo. Tractabant enim id muneris, non vt mercenariæ perfunctionem operæ, sed vt obsequium impensum Deo. Idque ipsum ceteri mirabantur, nullo eos stipendio capi, sed plane gratuitis famulari laboribus. Ad hæc, cum vita omnis omnium virtutum clara luminibus, tum eo maximè loci conspicua, in victu frugalitas hominum animos capiebat. Illud verò, vt plane rarum, ac nouum admiratione dignum rebantur, cum in assignato eis templo videbant diuinam Eucharistiam vna simul nouem, decem uè è iuuentute suscipere. Tanta diuinissimi muneris per id tempus erat obliuio, vt tam exigua manus pro
mira-

*Inducit Sa-
cramento-
rum usum.*